

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

Plal. 49 dicantur, ac psallatur. Vt enim diuinus Psalter ait: Peccatori dixit deus, quare tu enarras iustitias meas: & ea quæ sequuntur. Vtq; oculi inter orandum ab omni vanitate auertantur.

Summa deuotione missæ sacrum celebrari oportere. Cap. IX.

Iam si tanto mentis ardore quælibet preces dicendæ sunt, quãta putamus deuotione sacrosanctum missæ ministerium, in quo corporis & sanguinis dominici sacramenta tractantur, conficiunturq; peragendum est? Certe grauius dolemus atque animo inhorrescimus, vbi videmus passim tantis mysterijs indignos ac conductitios illos ac indignos sacerdotes, publicis etiã ac manifestis criminibus contaminatos, sese (idq; irreuerenter & interdum magis lucelli ac stipis, q̄ dei causa) sacris ingerere, quorũ instat interitus, & perditio non dormitat. Probet (inquit Paulus) seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Atque ideo (vt subdit) inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi. Nam si nos ipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.

Arguuntur qui polluta mente altare domini accedunt. Cap. X.

Math. 7. **T**erret, nec immerito, nos sermo dominicus, qui vetat, nos sanctum dare canibus, & margaritas nostras projicere ante porcos, quum quosdam leuiculos sacerdotes illotis manibus pedibusq; (vt in prouerbio est) audacius in hæc sacratissima mysteria, q̄ in prophana irrumpere comperimus. Quales sunt, qui humano affectu tantum, & potius ex more quam deuotionis ardore ad altare accedunt, quorum polluta est & mens & conscientia, quos merito horrendum Euangelij exemplum (quod Iohannis decimotertio legitur, in hæc verba: Et postquam accepisset buccellam, introiuit in eum Satanus, & cætera quæ sequuntur) ad meliorem vitæ frugem, altioremq; tanti mysterij contemplationem reuocaret.

Reuidentia Missalia ac Breuiaria. Cap. XI.

Peculiariorum Missarum argumeta recens præter veterum institutionem inuenta etiam patribus displicuerunt, quod tantum mysterium pro affectu cuiuslibet tractari non debeat. Profas indoctas nuperius Missalibus cæco quodam iudicio inuectas prætermittere per nos liceret. Videbimur ergo operæpretium facturi, si Missalia perinde atque Breuiaria peruideri curemus, vt amputatis tantum superfluis & quæ superstitiosius inuectas videri possint, ea tantum quæ dignitati ecclesiæ & prisca institutis consentanea fuerint, relinquuntur.

Quæ omitti aut decurtari, vel organorum vel cantorum concentu haud debeant. Cap. XII.

Iam